



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Cap. I. De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

CAPUT PRIMUM.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Duplex est, remota & proxima. Materia remota, & circa quam destruendam versatur, sunt omnia peccata post Baptismum admissa: Materia proxima, & ex qua componitur, sunt Actus pœnitentis, nempe Contritio, perfecta vel imperfecta, Confessio & Satisfactio; quæ partes materiales dicuntur ex Trid. sess. 14. can. 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, Anathema sit.* Differt tamen satisfactio actualis ab aliis, quòd sit tantùm pars integralis: nam datur absolutio, & hoc Sacramentum conficitur & confert gratiam justificantem ante satisfactionem impletam; at nulla res potest esse sine tota sua essentia: Contritio verò & Confessio sint partes essentielles. Satisfaciendi tamen propositum necessariò requiritur in Contritione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Contritione.

Q. I. **Q**uid est Contritio & quotuplex?

Resp. I. **Q** Contritio genericè sumpta est
X. 2 ani;

animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Trid. sess. 14. c. 4. ut autem valeat ad remissionem mortalium sive intra, sive extra Sacramentum, necessariò debet esse interna, supernaturalis, universalis, efficax, & appetitiuè summa.

Resp. II. Dividitur in perfectam & imperfectam. Contritio perfecta est ea quæ concipitur ex actu seu motivo charitatis perfectæ: unde est dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, propter Deum supra omnia dilectum propter se, hoc est propter infinitam amabilitatem suam, seu perfectiones absolutè spectatas. Imperfecta, quæ Attritio dicitur, est ea quæ ex alio motivo supernaturali, quàm charitatis concipitur, ut ex peccati turpitudine, vel ex gehennæ & pœnarum metu. *Trid. sup.* Quare differunt specie, cum habeant diversa motiva: differunt etiam ex parte effectûs; nam perfecta Deo reconciliat extra Sacramentum cum ejus voto, non imperfecta: quoad cætera conveniunt.

Q. 2. *An Contritio perfecta semper justificat extra Sacramentum, per modum scilicet dispositionis ultimæ, licet non sine voto Sacramenti?*

Resp. Aff. Prob. 1. Ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. vitâ vivet.* 2. Ex Trid. sess. 14. c. 4. *Docet etsi Contritionem hanc aliquan-*

quando charitate perfectam esse contingat, hominemque reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam. 3. Quia S. Pius V. & Greg. XIII. damnarunt hanc Baii propos. Per Contritionem etiam cum charitate perfectâ, & cum vero voto percipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.

Imò quilibet actus charitatis perfectæ, quem Contritio perfectâ includit, & qui dicitur contritio virtualis, absolutè sufficit extra Sacramentum ad justificationem, sine dolore & proposito formali, ut constat 1. Ex Script. Prov. 8. Ego diligentes me diligo. Joan. 14. Qui diligit me, diligitur à patre meo; & ego diligam eum, &c. 2. Ex Patribus id passim asserentibus. 3. Quia damnatæ sunt hæ Baii propositiones. 32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. 70. Homo existens in peccato mortali, potest habere veram charitatem. 4. Quia perfectâ Dei dilectio est perfectâ conversio ad Deum. Tamen actus charitatis perfectæ non reconciliat hominem Deo sine voto Contritionis & Sacramenti, quod in illo virtualiter & implicite includitur, nec sine obligatione eliciendi postea Contritionem formalem de iisdem mortalibus jam remissis, & eâdem confitendi.

Q. 3. *An Contritio est necessaria?*

Resp. I. Contritio formalis vel virtualis sufficiens ad remissionem peccati mortalis est necessaria necessitate mediæ ad salutem. Prob. 1. Ex Luc 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* & Act. 3. *Pœnitimini & convertimini ut deleantur peccata vestra.* 2. Ex Trident. sess. 4. cap. 1. & c. 4. Ratio est; quia sine illa, etiam inculpate ommissa, obtineri nequit remissio peccati mortalis, nec proinde salus. Contritio autem sufficiens ad remissionem mortalium est Contritio perfecta, vel Attritio, ex amore Dei inchoato seu imperfecto cum Sacramento, ut infra dicam.

Dixi, vel *virtualis*, quia actus charitatis perfectæ sufficit ad justificationem, etiam sine dolore formali, & esse potest in eo qui non cogitat de peccatis; estque pœnitentia virtualis; quia efficaciter ad Contritionem movet eum, qui de peccatis cogitat, & habet vim reconciliandi cum Deo extra Sacramentum.

Resp. II. Contritio formalis est etiam necessaria necessitate præcepti; nam extat præceptum speciale divinum eliciendi Contritionem formalem; ut constat ex Matth. 4. & Act. 2. *Pœnitentiam agite.* 2. Omnia media ad salutem necessaria, & ratione sui à Deo præcipiuntur: at contritio formalis est medium à Deo constitutum & necessarium ad reconciliationem cum eo, ut docet Trid. sess. 4. c. 4. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccato-*

cato-

eatorum hic Contritionis motus necessarius. 3. Ratione sui præcepta est lege cuiusdam justitiæ ad Deum, ex qua tenemur, quantum in nobis est, resarcire injuriam Deo illatam, modo ex naturâ rei convenienti, & à Deo instituto, qualis est dolor & propositum efficax. Hinc peccator qui elicit actum charitatis perfectæ, tenetur adhuc Contritionem formalem elicere; & omisso Contritionis præceptæ est speciale peccatum contra virtutem pœnitentiæ.

Q. 4. Quando nam præceptum Contritionis obligat?

Resp. Tenemur jure divino & naturali ad non differendam, saltem notabiliter, Contritionem sufficientem ad justificationem post mortale admissum, ita ut notabilis eius dilatio sit novum peccatum mortale. Prob. 1. Ex Eccli. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* 2. Ex Patribus, qui passim longam pœnitentiæ dilationem graviter increpant. 3. Notabilis dilatio contritionis, quæ à Deo statuta est ad satisfaciendam eius offensæ, eiusque amicitiam recipiendam est graviter iniuriosa Deo: nam est violatio iuris divini exigentis reparationem iniuriæ Deo illatæ sine notabili mora. Idem quippe ius obligans ad compensationem iniuriæ, simul obligat ad illam non differendam saltem notabiliter, ut patet in iniuriis humanis.

Præterea tempore notabili non curare de reconciliatione cum Deo ineunda, & permanere voluntariè in inimicitia Dei, dum ab eo sollicitaris ad redeundum in gratiam, est secundum æstimationem prudentum virtualiter amicitiam divinam contemnere. 4. Gravis est inordinatio voluntariè notabili tempore se iungi, & habitualiter averti à fine ultimo, ut rem magis ex morali quodam iudicio, quam ex subtili disquisitione expendenti facile patebit. 5. Per talem dilationem peccator exponit se periculo labendi in novum peccatum; nam ex communi Patrum & Doctorum doctrina, homo non potest diu in peccato mortali versari, quin iterum in novum mortale incidat. *Peccatum quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.* ait S. Greg. 1. 25. Mor. c. 9. Hinc illud Eccli. 3. *Peccator adficiet ad peccandum.* Et verò (ut ait Delugo) hæc est voluntatis natura, ut quisque operetur iuxta id quod amat & intendit, nec diu eligere possit media difficilia ad finem alium, quem minus amat. Quare notabilis dilatio Contritionis est peccatum mortale contra virtutem pœnitentiæ, & contra charitatem verantem contemptum quemlibet divinæ amicitia. Quænam autem dilatio hæc notabilis censeatur, ut sufficiat ad mortale, ex morali iudicio æstimandum est, opportunitate, periculis, tentationibus, & aliis circumstantiis spectatis.

Cœterum secundum omnes Contritionis
præ-

præceptum obligat per se in quovis probabili periculo mortis; quia cum post mortem observari nequeat, homo se committeret periculo illud non observandi. Per accidens vero obligat quoties quis Sacramentum aliquod vult ministrare, vel suscipere; quia ex virtute Religionis tenetur sancta sanctè tractare, & proinde sibi comparare statum gratiæ. Item quando necessaria iudicatur ad superandam tentationem, vel avertendam calamitatem publicam.

Resp. II. Quisque tenetur lege naturali divinâ elicere Contritionem perfectam in articulo mortis. Ita communius; quia recta ratio dicitur in negotio salutis æternæ, eo tempore quo exacto defectus sit irreparabilis, adhibendam esse viam tutiorem, & omnem securitatem moraliter possibilem, qualis est omni adulto contritio perfecta: nam nemo cerò scit se immunem esse ab omni mortali, nec se liberandum esse per Contritionem imperfectam cum Sacramento; quia potest tibi deesse Baptismus, sine quo nemo est capax alterius Sacramenti; posset Confessarius non esse ritè ordinatus, caruisse intentione necessariâ, &c. Nec satis est elicere amorem Dei perfectum dum occurrunt animo peccata; nam tunc ex præcepto elici debet Contritio formalis, ut dixi.

X S

Q. S.

Q. 5. An ad remissionem venialium, etiam in justo, requiritur aliqua pœnitentia seu displicentia, ac retractatio vel formalis, vel saltem virtualis?

*Resp. Aff. Ita commun. cum S. Thom. 3. p. q. 87. a. 1. Prob. 1. ex Script. quæ asserit indistinctè & generaliter Contritionem esse necessariam ad remissionem peccatorum. 2. Ex S. Aug. Epist. 48. Nec quemquam putes à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine Pœnitentiâ posse transire. & Serm. 1. in Psal. 58. Iniquitas omnis parva magna fit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante: nam *Q*uem pœnitet, punit seipsum ... Non potest impunitum relinqui peccatum. 3. Sapientiæ & iustitiæ divinæ planè convenit, ut omnis Dei offensa propriâ voluntate admiffâ sine retractatione ac displicentiâ saltem virtuali non remittatur. Ergo rectè creditur Deus, qui connaturalem rerum exigentiam ac convenientiam semper servat, statuisse ut peccata etiam venialia non condonarentur sine aliqua eorum pœnitentia saltem virtuali: quæ consistit in actu supernaturali virtutis alicujus, vi cuius displiceret illud peccatum si memoriæ occurreret.*

Q. 6. Quenam Contritio requiritur & sufficit ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ?

Resp. I. Ad valorem & effectum Sacramenti requiritur contritio formalis, interna, superna:

pernaturalis, universalis respectu mortalium, efficax & appetitativè summa. Itaque debet esse. 1. Formalis, qualis generatim descripta est, nempe quæ sit animi dolor ac detestatio formalis de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero, ex Trid. sess. 14. cap. 4. nam Contritio est pars necessaria Sacramenti, ex can. 4. Item saltem in praxi requiritur, præter dolorem, etiam propositum formale & expressum; nam non est certum sufficere virtuale: imò Florentinum explicando Contritionem requisitam, expressè commemorat dolorem & propositum, & illa tanquam duo requirit. Et à Tridentino Contritio definitur, *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* At definitur per partes essentielles, alioqui dolor & detestatio non essent etiam partes essentielles: nam Concilium tam requirit simpliciter propositum, & particula *cum* significat conjunctionem, &c. Hinc non sufficit perfecta dilectio, quia non est Contritio formalis, sed solum virtualis.

2. Interna, ex Joel. 2. *Scindite corda vestra,* nam est animi dolor.

3. Supernaturalis, hoc est facta motivo supernaturali per auxilium gratiæ. Ex Trid. sess. 6. can. 3. *Siquis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*

tur, anathema sit. Et verò dispositio debet esse proportio nata formæ, & ejusdem ordinis cum illa: forma autem, nempe gratia sanctificans, est supernaturalis: ergo contritio, quæ est dispositio ad illam, debet quoque esse supernaturalis.

4. Universalis, ita ut dolor se extendat ad omnia mortalia admittenda, & adsit propositum omnia omnino mortalia, in posterum vitandi, propter motivum omnibus etiam obliis commune, ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, vitâ vivet*: nam unum mortale non potest remitti sine omnibus aliis, cum per quodlibet avertamur à Deo, & nullum remittatur sine infusione gratiæ sanctificantis, quæ est impossibilis cum omni mortali: ergo ut Contritio valeat ad remissionem mortaliæ, debet valere ad remissionem omnium. Non potest autem valere ad remissionem omnium mortaliæ, nisi virtualiter saltem & implicite ad omnia se extendat, per rationem omnibus communem, ut patet. Hinc Conc. Gener. Later. 2. c. 22. ait: *Falsam pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est, (qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus) scilicet quantum ad vitam æternam: sicut enim si peccatis es-*

set

set omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, eterna vitæ janua non intrabit, &c.

5. Efficax & absoluta, ita ut excludat omnem affectum ad quodvis mortale, ex Trid. c. 4. & contineat propositum firmum servandi omnia mandata, & adhibendi omnia media ad fugam peccati, & mandatorum observationem necessaria, cujusmodi sunt destructio causarum peccati, fuga occasionis proximæ, cupiditatum ac sensuum mortificatio, oratio crebra, &c. nam Trident. sess. 14. c. 4. requirit propositum non peccandi de cætero, hoc est, nunquam peccandi, ideóque semper servandi omnia mandata saltem graviter obligantia. Præterea vera pœnitentia seu contritio est vera conversio cordis ad Deum: quæ non potest esse sine odio efficaci peccati, & amore efficaci justitiæ, ex Trid. sess. 14. cap. 4. *Declarat S. Synodus hanc Contritionem (necessariam quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum) non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud Ezech. 18. projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum & spiritum novum.*

Ad efficaciam Contritionis pertinet etiam voluntas faciendi quidquid Deus requirit ad destructionem peccati, nempe confitendi, satisfaciendi, &c.

6. Appretiativè summa, ita ut homo oderit ac de-

ac detestetur peccatum supra omnia alia mala, sitque paratus omni bono carere, & quodvis malum pati, potiusquam peccare mortaliter, & Dei amicitiam rebus omnibus præferat. Nam Contritio necessaria ad justificationem est conversio ad Deum ex toto corde, totalitate appetitionis juxta illud Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* & Deut. 4. *Cum quaesieris Dominum Deum tuum, inveni eum; si tamen toto corde quaesieris, & totâ tribulatione animæ.* Enimverò sicut Deus est summum bonum, ideóque supra omnia diligendus: ita peccatum, quod est Dei offensa, & ejus amicitia ac possessione privat hominem, est summum malum, ideóque summè detestandum ac vitandum.

7. Ut sit cum spe veniæ conjuncta vide Trid. Porro Contritio debet esse talis reipsâ, & non solum opinione: nam ex Trid. sess. 14. c. 3. & can. 4. est pars Sacramenti Pœnitentiæ. At pars Sacramenti realis & veri, debet esse vera & realis, & non tantum existimata; nostra enim existimatio nihil ponit in re: cum ergo res esse nequeat sine omnibus suis partibus essentialibus veris, nec etiam Pœnitentiæ Sacramentum potest esse sine aliqua Contritione vera, qualis à Deo requiritur.

Resp. II. Ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam requiritur insuper, ut talis Contritio includat aliquem Dei amorem; non tamen qui extra Sacramentum justificet.

Prob.

Prob. 1. ex Trid sess. 6. c. 6. ubi agens de
 dispositionibus ad justificationem in Baptismo
 requisitis sic ait: *illumque tanquam omnis justi-*
tiae fontem diligere incipiunt; ac propterea mo-
ventur adversus peccata per odium aliquod & de-
testationem, hoc est, per eam Pœnitentiam, quam
ante Baptismum agi oportet. Quanto magis
talis amor requiritur in Sacramento Pœniten-
tiae, quæ ex Trid. est laboriosus Baptismus. 2.
Auctoritate Cleri Gallicani an. 1700. ita do-
centis: Et quidem de dilectione Dei, sicut ad Sa-
cramentum Baptismi in Adultis, ita ad Sacra-
mentum Pœnitentiæ quæ est laboriosus Baptismus,
requisita, ne necessariam Doctrinam omittamus,
hec duo imprimis ex S. Synodo Tridentina, mo-
nenda & docenda esse duximus. Primum, ne quis
putet in utroque Sacramento requiri ut præviam
Contritionem eam, quæ sit charitate perfecta, &
quæ cum voto Sacramenti, antequam actu suscipia-
tur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis
putet, in utroque Sacramento securum se esse, si
præter Fidei & Spei actus, non incipiat diligere
Deum tanquam omnis justitiæ fontem. Neque
verò satis adimpleri potest utrique Sacramento
necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi
mandata divina propositum, si pœnitens primi &
maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur,
nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præ-
parato, ut ad illud exequendum, divinâ opitulante
gratiâ, se se excitet ac provocet. 3. Quia ex
Script. Patribus, & Conc. Trid ad justificatio-
nem

nem omnem Adulti requiritur vera conversio ad Deum: at conversio vera ad Deum includit aliquem Dei amorem. Et verò homo non potest ab inordinato amore creaturæ; in quâ suum finem ultimum ponebat, converti ad Deum, nisi in Deo suum finem ultimum constituat, illumque magis quam omnes creaturas amet; ideòque supra omnia amet, saltem ut suum summum bonum. 4. Dispositio ad reconciliationem in Sacramento requisita, debet esse medium huic obtinendæ accommodatum, quod non præsupponat necessariò effectum Sacramenti. At talis est Attritio cum aliquo Dei amore appetitativè summo, qui non sit charitas perfecta, cum hæc sola reconciliet extra Sacramentum. 5. Ubi agitur de valore Sacramenti non licet sequi opinionem probabilem tantum, relictâ tutiore: at sententia asserens necessitatem amoris Dei non per se justificativi est saltem tutior, ut patet; & negans non est certa, ut constat tum ex dictis; tum quia Alex. VII. æquè vetuit utramque censurâ notari, impugnaturque à multis. Ergò in praxi non licet opinionem negantem sequi.

Resp. III. Contritio necessariò debet elici ante absolutionem: alicui absolutio, quæ est forma, non applicaretur materiæ essentiali, quæ sunt Contritio & Confessio, & sic Sacramentum nullum esse: & absolutio inanis; nam sine pœnitentiâ non remittuntur peccata.

Imò

Imò monendi sunt Pœnitentes, ut Contritionem Confessione semper præmittant: tum quia alioqui periculum esset, ne ante absolutionem non eliceretur: tum quia secundum aliquos Confessio manare debet ex contritione, ut sit accusatio dolorosa, aliàs futura mera peccatorum historica narratio, & ut reddat Contritionem sensibilem. Unde monent pœnitentem qui sine Contritione Confessus fuisset, debere post Contritionem elicitam dicere, ego me accuso de peccatis declaratis, vel confessario quærenti an non se iterùm accuset de peccatis illis, respondere, ita. nam ubi agitur de Sacramentorum valore tenemur sequi partem tutiorem, quamvis esset minus probabilis. Ob hanc rationem in praxi elici debet contritio ex intentione Confessionis, vel absolutionis; & qui nihil cogitans de Confessione Contritionem elicit, debet aliam denuò elicere; quia hoc est tutius, & probabile est id requiri, ut aliqui docent: tum quia pars debet referri ad compartem, & illi moraliter uniri, ut totum cum illa constituat: tum quia Contritio sine relatione ad Sacramentum non esset actio Sacramentalis. Et quamvis fortè contrarium, quod docet Delugo, esset probabilius, tamen non est omnino certum.

Not. In praxi requiritur nova Contritio, quoties datur nova absolutio: quia oppositum non est omnino certum, & nova forma exigit novam materiam proximam. Quare

Tom. III.

Y

si quis

si quis statim post absolutionem recordans mortale, illud addat, debet ante novam absolutionem renovare Contritionem.

Resp. IV. Attritio concepta ex metu gehennæ includens amorem Dei appetitativè summum, etsi non perfectum, cum spe veniæ, sufficit absolutè ad justificationem in Sacramento impetrandam, si habeat alias conditiones suprâ requisitas.

Prob. Quia non requiritur Contritio charitate perfecta, quæ semper justificat extra Sacramentum: nam si requireretur, Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum nunquam peccatores reconciliaret; imò nec reconciliare posset, sed semper reconciliatos exigeret; cum contritio perfecta semper reconciliet. At absurdum est, quòd Sacramentum in re *pro fidelibus Deo reconciliandis à Christo institutum*, qualis est Pœnitentia, ex *Trid. sess. 14. can. 1.* nunquam reconciliare possit, sed semper exigat & supponat jam reconciliatos: nam absurdum est instituere medium ad aliquem finem obtinendum, quod semper necessariò præsupponat jam consecutionem finis. Deinde Sacramentum pœnitentiæ non esset Sacramentum nisi vivorum.

Cæterùm quoad praxim pœnitentes semper adducendi sunt ad eliciendam contritionem perfectam: tum quia est Actus Deo gratior & pœnitenti utilior, & qui supplebit defectus qui possent esse ex parte Ministri, vel sui,

fui, ut si non effet verè Baptizatus: tum quia Actus Charitatis sapissime in vita ex præcepto eliciendus est.

Q. 7. An est mortale confiteri solâ venialia sine Contritione formali & efficaci saltem de aliquo?

Resp. Aff. Ita communè. Quia tunc redditur forma nulla, & Sacramentum nullum ac sine effectu, defectu materiæ essentialis. Contritio enim vera & efficax est pars materialis & essentialis Sacramenti. Est autem grave sacrilegium reddere voluntariè Sacramentum nullum & sine effectu; & gravis irreverentia facere, ut verba Christi ab eo instituta & ejus nomine debite prolata, qualia sunt verba formæ, applicentur frustra & quasi irrisoriè. Non est tamen mortale non habere Contritionem de omnibus venialibus, quæ in Confessione dicuntur, modo habeatur de aliquo: quia id non est necesse ad valorem & affectum Sacramenti, cum unum veniale possit remitti sine alio, & gratia sanctificans possit subsistere cum venialibus. Nec tunc gravis irreverentia infertur Sacramento, cum aliunde ponatur materia valida; quamvis sit aliqua irreverentia & mendacium confiteri aliquod veniale, de quo non doleas; nam, ut ait Suárez, confitens peccatum, hoc ipso exercite dicit se dolere de eo, & velle ab eo absolvi.

ARTICULUS II.

De Confessione.

NOTA. Confessio Sacramentalis est priorum peccatorum accusatio, facta Sacerdoti legitimo Judici, ad eorum remissionem virtute Clavium Ecclesiæ obtinendam. Ejus dotes 16. recensentur his versibus.

*Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, lubens, ve-
recunda,*

*Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.*

Q. I. *An jure divino præcepta est Confessio Sacramentalis omnium & singulorum mortalium post Baptismum commissorum?*

Resp. Aff. Fide constat 1. Ex Joan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus verbis Christus confert Apostolis, & eorum in Sacerdotio Successoribus judiciariam potestatem remittendi peccata, & illa retinendi, exercendam rectè & prudenter: at hæc potestas non potest rectè & prudenter exerceri, nisi auditâ priùs causâ per Confessionem nec possent peccata retineri absolutè, si fideles non tenerentur comparere in eorum judicio. Unde præceptum divinum Confessionis in-
clu-

eluditur in ipsa Sacramenti institutione. 2. Ex perpetua traditione. 3. Ex Trid. sess. 14. c. 5. *Universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere, &c.* Imò Confessio illa est necessaria necessitate medi in re vel in voto, quatenus est pars Sacramenti sic necessarii. Porrò omnia mortalia debent declarari eidem Sacerdoti, & in ordine ad eandem absolutionem, ut constat ex traditione & Ecclesiae praxi, quæ nunc cernitur, & cujus initium cum ignoretur, ab ipsius Christi præcepto repetendum est. Etverò cum una & eadem sententia judiciaria Sacerdotis, cui Christus peccata subjecit, feratur in omnia, requirit, quantum fieri potest, cognitionem omnium,

Q. 2. Quando nam hoc præceptum obligat?

Resp. Obligat per se 1. In quo vis mortis periculo, ut gravi morbo, difficili partu, navigatione periculosâ, instante conflictu, &c. Conc. Mediol. 5. sub S. Carolo. Nam alioqui homo se committeret periculo nunquam servandi tale præceptum. Deinde in mortis periculo adhiberi debent media omnia ad salutem necessaria, qualis est Confessio post lapsum in mortalem culpam. 2. Etiam sæpè per vitam extra mortis periculum: tum quia peccatur per se & independentè à mortis periculo tenetur ad pœnitentiam secundùm leges

Y 3

à Deo

à Deo institutas : tum quia Sacramentum poenitentiae à Deo institutum est non solum ad remittendum peccata commissa, sed etiam ad præcavenda & impedienda futura. Ergo Christus voluit, ut peccatores illud sapius in vitâ reciperent. Præterea qui præcipit aliquid nec determinat tempus, vult illud non differri nimis diu, nec expectari tempus extremum.

Obligat verò per accidens seu ratione alterius præcepti. 1. Quoties Eucharistia sumenda est. 2. Quando est medium necessarium moraliter ad superandam tentationem aliquam, vel ad vitanda nova peccata.

Sed an obligat statim post mortale admissum, datâ videlicet primâ opportunitate?

Resp. Plurimi negant, quia Ecclesia, quæ determinavit præceptum divinum confitendi, obligat tantum ad Confessionem annuam : & aliàs obligando tantum ad semel per annum confitendum, dedisset occasionem transgrediendi præceptum divinum. Quare volunt posse expectari tempus Communionis Paschalis. *Differre Confessionem usque ad hoc tempus (Paschæ) per se loquendo licitum est : sed per accidens potest fieri illicitum, puta si immineat aliquis articulus, in quo Confessio requiratur.* ait S. Thom. quodlib. I. a. II. & Sylvius id confirmat, quia, inquit, Cathecumeni non tenentur ad statim suscipiendum Baptismum. Imò Ecclesia olim vetuit, ne unquam Adulti
extra

extra casum necessitatis urgentis Baptizarentur, nisi in Vigiliâ Paschæ vel Pentecostes. Alii cum S. Bonav. in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. docent hoc præceptum obligare, quando opportunè potest impleri moraliter loquendo, & major opportunitas temporis: loci, & Sacerdotis ad confitendum expectari prudenter non potest: quia præcepta affirmativa quæ per se sæpè obligant in vitâ, obligant saltem pro temporibus ex prudenti Judicio determinandis. At obligatio præcepti confitendi determinatur prudenter ad tempus, quo opportunè impleri potest, & major opportunitas expectari nequit. 2. Pœnitentiæ Sacramentum est remedium ad peccata tollenda & præcavenda à Christo institutum, ac præceptum. Prudentia autem dicitur remedia, quæ aliquando necessaria sunt, adhibenda esse tum, cum adhiberi opportunius nequeunt, Dicunt autem Ecclesiam non intendisse determinare adæquatè omne tempus, quo præceptum divinum obligat per se, nec dare licentiam differendi, sed solum prohibere negligentiam & dilationem ultra annum, & ideo addidisse in suo præcepto *saltem* semel in anno: sicut etiam cum prohibet, ne quis ultra annum in excommunicatione maneat, non dat licentiam in illâ toto anno permanendi.

Q. 3. *An ex præcepto divino tenemur constiteri mortalium numerum, species, & circumstantias?*

Nota. Circumstantia moralis est affectio, seu conditio Actûs humani, ad ejus bonitatem vel malitiam conducens. Circumstantiæ septem recensentur hoc versu:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Aliæ mutant speciem, hoc est, dant actui novam speciem peccati: ut si percutiatur Clericus, circumstantia personæ addit injustitiæ peccato malitiam sacrilegii, ob oppositionem cum religione: Huc etiam pertinent circumstantiæ, quæ efficiunt peccatum mortale, quod alioqui fieret veniale, ut circumstantia Patris in contumeliâ, quæ in alium illata censeretur levis culpa: nam mortale est specie morali diversum à veniali. Aliæ verò non mutant speciem, sed peccatum intra eandem speciem notabiliter aggravant, vel minuunt, ut major vel minor quantitas mortalis, duratio, intentio, &c. Aliæ demum multiplicant peccatum intra eandem speciem, ut numerus personarum, quas læseris, &c.

Porro circumstantia mutat speciem, cum propter illam actus habet disconvenientiam cum natura rationali & lege divina notabiliter diversam, vel oppositionem cum diversis specie præceptis aut virtutibus, vel modum opposi-

positionis cum eadem virtute notabiliter diversum.

Resp. I. Pœnitens jure divino tenetur confiteri distinctè omnia & singula mortalia, quoad numerum, species, & circumstantias peccati speciem mutantem; prout sunt in conscientia. Fide constat ex Trid. sess. can. 7. *Siquis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant... Anathema sit.*

Dixi, species. Nam ex loco cit. omnia & singula mortalia exprimi debent. Tò omnia indicat species. Et tò singula numerum. Item circumstantiæ speciem mutantem declarandæ sunt: ergo à fortiori ipsæ species, propter quas illæ declarari debent. Ratio est, quia peccatum aperiendum est ob malitiam: ergo distinctæ speciæ malitiæ, etiam distinctè declarari debent.

Nota. Qui non potest determinare præcisè numerum suorum peccatorum, tenetur exprimere eorum numerum cum aliqua latitudine verisimiliore, dicendo, v. g. commisi hoc peccatum decies, plus, minus. Quòd si propter lapsum multitudinem nequidem possit sic numerum exprimere, interrogandus est ex quo tempore talem consuetudinem habuerit, & quoties circiter per diem vel hebdomadam,

Y 5

vel

vel mensē, consueverit talem culpam admittere, ut sic, quantum fieri potest, numerus peccatorum Confessario innotescat: an non etiam aliquo tempore frequentius, alio rarius illam commiserit. Qui verò aliquandiu in aliqua mala voluntate, v. g. hominem occidendi remansit, tenetur exprimere quantum moraliter fieri potest, numerum actuum intra illud tempus iteratorum: nec satisfacit dicendo habitualiter perseveravi per mensē in voluntate occidendi, fornicandi. Quare Confessor ab eo quærere debet, an & quoties singulis diebus, hebdomadis, malam illam voluntatem iterarit, & quæsierit modum illam exequendi.

Resp. II. Numerus personarum quæ sunt objectum peccati, & quantitas materiæ debent in Confessione exprimi: quia sunt aliquid se tenens ex parte objecti peccati, & ad illud pertinens, & constituens actum in suo esse individuali; ideoque aperiri debet, ut cognoscatur substantia actus individua; nec peccatum potest sufficienter exprimi, non expresso toto objecto. Imò numerus personarum multiplicat numerum peccatorum. Hinc declarandus est numerus personarum, quas uno actu oderis, uno actu læseris, aut occideris, vel quibus uno facto aut dicto scandalum præbueris, vel de quibus aut coram quibus uno sermone detraxeris, &c.

Resp. III. Pœnitens tenetur etiam declarare
circum-

circumstantias, quæ intra eandem speciem aggravant notabiliter peccatum, seu malitiam mortalem illi addunt. Suarez, Sanchez, & alii communius. Prob. 1. ex c. *Consideret* de pœnit. dist. 1. & ex Catechismo Romano, & ex S. Caroli in Instruct. Confess. 2. Ex praxi Ecclesiæ, quæ aliquando reservat peccata propter circumstantiam aggravantem, ut constat ex multis Pœnitentialibus, & Ritualibus tum antiquis, tum recentioribus. Non reservantur autem, nisi ea, quæ sunt de necessitate Confessionis. 3. Quia rationes, quas affert Trid. sess. 14. c. 5. pro obligatione confitendi circumstantias speciem mutantem, nimirum. *quod sine illis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescat; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere:* valent etiam pro circumstantiis aggravantibus: Unde Trid. implicite & virtualiter docet illas aperiri debere: nam sine his neque peccatum integre exponitur, nec innotescit Sacerdoti, cum supprimatur malitia mortalis, quam illæ addunt, & per quam peccatum fit virtualiter ac æquivalenter duplex numero vel triplex. Neque etiam Sacerdos potest sine illis rectè censere de peccatorum gravitate, nec pœnam proportionatam imponere, cum non cognoscat gravitatem malitiæ mortalem, quam peccatum habet ex circumstantiâ, ob quam est mul-
tè ma-

tò majori pœnâ dignum; & quæ notabiliter variat iudicium Confessoris. Igitur rectitudo & æquitas iudicii illius a Christo requisita, circumstantiæ aggravantis Confessionem exigunt.

Dices. Si hoc ita esset, Trident. id definisset expressè. *R. N.* Quia Conc. voluit solum damnare expressè errores Hæreticorum, contra quos ejus doctrina est accurata. Sed in illorum damnatione multa docuit, ex quibus colligitur quid sit sentiendum, circa quæstiones inter Catholicos controversas, licet eas expressè definire noluerit.

Not. Pœnitens debet etiam declarare circumstantias necessarias ad cognoscendum suum statum, suam dispositionem & necessitatem spiritualem, ut si sit implicatus consuetudine peccandi, vel in occasione peccati versetur: nam hæc cognitio necessaria est Confessorio Medico ejus spirituali, ut remedia apta suggerat.

Resp. IV. Pœnitens tenetur etiam declarare circumstantias notabiliter minuentes gravitatem peccati, sive efficiant, ne peccatum sit mortale, sive ne mortale habeat novam malitiam mortalem: quia alioqui Confessor deciperetur in re gravi, & non posset rectè iudicare de gravitate peccati, & pœnæ imponendæ.

Not. Peccata debent sic aperiri, ut Confessor ea intelligat: nam ex Trid. Deus iubet
pec-

peccata declarari eo modo, quo Sacerdos possit de iis rectè judicare, & satisfactionem convenientem, ac remedia opportuna præscribere. Et sic præcipitur Confessio, quæ à Sacerdote distinctè intelligatur: aliàs inanis esset. Quare si intelligas Confessorem ob distractionem, vel surditatem, vel quamlibet aliam causam, non percepisse aliqua peccata prout illa nôsti, teneris illa repetere. Quòd si nescias quanam sint illa, debes Confessionem totam repetere, cum de singulis prudenter possis dubitare?

Q. 4. An actus externus exprimi debet?

Resp. Aff. Prob. 1. ex communi sensu Doctorum, & praxi fidelium. 2. Actus externus facit moraliter cum actû interno unum actum completum, & unum peccatum totale, & re ipsâ prohibetur per legem. Christus autem voluit explicari totum peccatum completum in genere moris. 3. Sine Confessione actûs externi, non satis declaratur actûs interni efficacia, intentio, extensio, duratio, nec proinde tota ejus gravitas innotescit. 4. Nisi declaretur actus externus, Sacerdos non potest, ut par est, fungi officio suo: nam non satis cognosceret statum pœnitentis, quæ remedia danda, quæ satisfactiones vel obligationes imponendæ essent: nam actus externus obnoxius est censuris, irregularitati, & variis obligationibus, quibus immunis est actus merè
inter-

internus. 5. Actus externus scandalum parit, non internus. 6. Alex. VII. damnavit hanc propos. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Q. 5. An exprimi debet effectus malus, qui ex actu externo secutus est?

Resp. Aff. Quia talis effectus sequitur ex actu externo liberè posito, & meritò imputatur ad culpam ei, qui causam liberè posuit, & in quâ fuit prævisus, vel prævideri potuit. Deinde pertinet quodammodo ad objectum peccati, estque liber & malus à libertate & malitiâ voluntatis, à qua procedit. Adde quod ejus declaratio sæpè necessaria est, ut Confessor cognoscat statum pœnitentis, & an contraxerit aliquam Censuram, vel irregularitatem, vel obligationem restituendi, &c. Hinc qui propinavit alteri venenum, ex quo mors secuta est, tenetur declarare, mortem inde secutam esse.

Q. 6. An pœnitens aliquando tenetur detegere in Confessione Complicem?

Not. Constat id non licere, si pœnitens possit aliter peccatum suum sufficienter exprimere; vel sine gravi incommodo possit adire Confessarium, cui complex sit ignotus; vel peccatum aliàs sit rite Confessus, & tunc faciat
Con-

Confessionem generalem: quia in his casibus sine iustâ causa proximum infamaret, quod nunquam licet. Quare Confessor tenetur prohibere pœnitentem, quem animadverit ad id paratum esse, & arguere, cum revelat peccatum alterius sine iustâ causâ. Item pœnitens debet per aliquod tempus, si commodè potest, differre Confessionem, ut habeat alium Confessarium, cui complex sit ignotus, nisi urgeat præceptum confitendi, vel communi-candi. Non tamen tenetur differre per longum tempus, præsertim si sit in peccato mortali, vel si omissio cum aliqua nota foret, vel interruptio Communionis ei gravis esset, quæ dilatio ex prudenti iudicio definienda est.

Resp. Pœnitens tenetur manifestare Complicem, seu socium criminis, dum aliter non potest peccati proprii speciem, vel gravitatem mortalem aperire, nec potest differre commodè Confessionem, nec adire Confessarium cui complex ignotus sit. Ita S. Bernard. de forma honestæ vitæ, S. Thom. Bonav. & Antonin. Suarez, Vasquez & alii. Quia I. ex Trid sess. 14. c. 5. Christus integram peccatorum Confessionem secundum suas species, & totam suam gravitatem mortalem universaliter præcepit. Ergo ad eam tenetur pœnitens, non obstante infamiâ sive propriâ, sive alterius, quæ per se apud eundem Confessorem sequitur ex Confessione necessaria: nam qui vult aliquid, illud vult etiam non obstante incommodo,

modo, quod per se ex eo sequitur, vel ei conjunctum est. Et verò pœnitens ad integritatem illam tenetur cum propria infamia; ergo & cum infamia alterius, cum ejus peccati declaratio necessaria est ad integrè proprium confitendum: nam ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem, ut seipsum infamet, quam ad obligandum ut alterius crimen aperiat; aliquando enim possum patefacere crimen alienum, ad vitandum aliquod malum meum temporale injustum, licet ideo non obliget ad crimen meum detegendum. 2. Ratio propter quam ex Trid. cit. Christus præcepit integram peccatorum Confessionem, scilicet ut Sacerdos possit prudenter judicare, punire, curare, &c. non minus probat integritatem Confessionis fieri debere cum notitia Complicis ad hos fines necessaria, quam cum propria infamiâ Pœnitentis. Præterea inter Christianos Complex suo facto tacitè renuntiat juri, quod habet ad servandam famam, sciens necessitatem confitendi peccata.

Hinc pœnitens, qui cum unica sorore sua nota Confessario commisit incestum, tenetur confiteri incestum in tali gradu. In eadem hypothesi pœnitens tenetur detegere personam, quæ fuit objectum peccati licet inculpabiliter, ex quo tamen in illam redundat aliqua infamia apud Confessarium, ut si quis sorori quamvis omnino invitæ & reluctanti stuprum intulisset. Nam hæc eadem ratio valet, præceptum enim

inte-

integritatis Confessionis obligat Pœnitentem ad detegendum defectum aliquem occultum proprium infamem, licet inculpabilem, si id necessarium sit ad exprimendum sufficienter suum peccatum, ut si occultè illegitimus sit, & sine dispensatione susceperit Ordines.

Observ. Licet etiam patefacere Complicem, quando hoc necesse est, ut media idonea suggerantur Pœnitenti, quibus à proxima occasione peccati liberetur, vel ut Pœnitens doceatur, qua ratione satisfacere possit obligationi Justitiæ, aut caritatis, quâ tenetur avertere grave malum imminens communitati, vel complici, vel alicui tertio. Quia tunc subest rationabilis causa detegendi; & quia alteri aperire peccatum occultum proximi extra Confessionem notum, non est malum, nisi dum fit sine justa ac rationabili causa, vel ex intentione illum infamandi.

Q. 7. An peccata dubia debent aperiri in Confessione?

Resp. Aff. Si dubium sit cum fundamento, sive dubites an mortaliter peccaveris, sive an confessus fueris peccatum, quod certò scis esse mortale. Ita Suarez, Sanchez, De Lugo, Valent. &c. Et videtur communis sent. Prob. 1. Ex sensu & praxi fidelium, cujus initium dignosci nequit: quare ab ipsis Apostolis à Christo vel Spiritu S. edoctis manavit. 2. Ex ipsa naturâ Sacramenti per modum Tribunalis

Tom. III.

Z

insti-

instituti, in quo cùm Christus constituerit Sacerdotes tanquam Vicarios Dei pro remissione peccatorum obtinenda, voluit, ut ea omnia peccata ad eos deferrentur, pro quibus præcepta erat Contritio perfecta, qualia sunt non solum mortalia certa, sed etiam dubia. 3. Non confitendo illa, exponit se periculo non confitendi omnia mortalia, contra præceptum divinum. 4. Possessio stat pro lege confitendi, à qua Trid. sola venialia excipit. 5. Ex Trid. peccata, quæ sunt in conscientia debent declarari: at dubia, ut dubia sunt in conscientia, & remitti debent saltem ut dubia, & proinde cognosci ut talia. Porrò lex Confessionis non est odiosa, sed favorabilis, cùm sit à Christo instituta ad salutem animarum, & ad peccata commissa delenda, ac futura præcavenda.

Observ. 1. Peccata dubia declaranda sunt ut dubia, sicut certa ut certa. 2. Qui mortale ut dubium confessus est, si postea certò norit illud à se commissum esse tenetur iterum illud confiteri ut certum; quia ex institutione Christi Pœnitens tenetur omnia mortalia confiteri prout sunt in ejus conscientia, & eo modo, quo Sacerdos rectè censere possit de eorum gravitate, & pœna convenienti imponenda. Econtra qui peccatum ut dubium Confessus est, quod postea cognoscit se non commisisse, non tenetur in sequenti Confessione id aperire; quia carentia peccati non est materia Confessionis. 3. Qui non habet

pecc-

peccata nisi dubia, tenetur confiteri peccatum aliquod certum, saltem veniale, licet antea remissum, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis.

Q. 8. An peccata mortalia ex oblivione, vel ob justam aliam causam omissa, debent declarari in sequenti Confessione?

Resp. Aff. Quia 1. ita generalis fidelium persuasio, & praxis. 2. Ex Trid. sess. 14. can. 7. necessarium est jure divino confiteri omnia & singula mortalia post Baptismum commissa, quorum memoria habeatur. 3. Ex S. Thom. in 4. dist. 21. q. 2. a. 2. ad 1. quodlibet mortale debet subjici sententiæ Sacerdotis, ut pro eo imponat satisfactionem convenientem. 4. Alex. VII. damnavit hanc propos. Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

Item qui tantum confuse & genericè mortalia peccata Confessus est, eò quòd distinctum eorum numerum & speciem non recordaretur, tenetur postea in sequenti Confessione, si recordetur, eorum numerum distinctum & speciem confiteri. Quia est præceptum divinum confitendi distinctè omnia & singula mortalia quoad numerum & speciem, quod nondum talis observavit;

Q. 9. *An qui aliquam circumstantiam in Confessione aperiendam oblitus est, tenetur postea confiteri iterum peccatum, ad quod illa circumstantia pertinet?*

Resp. Aff. Si tota malitia hujus circumstantiæ nequeat exprimi sine declaratione peccati: quia tunc hujus declaratio per se necessaria est ad circumstantiam aperiendam.

Q. 10. *Quenam integritas ad valorem & effectum Sacramenti requiritur?*

Not. Duplex distinguitur Confessionis integritas, materialis, & formalis. Confessio materialiter integra, est accusatio omnium omnino mortalium commissorum quoad numerum, species, & circumstantias declarandas. Confessio formaliter integra est accusatio eorum duntaxat mortalium, quæ poenitens potest & debet declarare in iis circumstantiis in quibus versatur.

Resp. I. Per se loquendo integritas Confessionis ad valorem Sacramenti requisita exigit, ut quantum moraliter fieri potest, declarantur 1. Omnia peccata mortalia tam occulta & interna, quàm externa & publica, etiam si aliunde essent nota Confessario; neque enim notitia Confessarii sed Confessio Poenitentis est pars Sacramenti. 2. Eorum numerus. 3. Omnes species morales. 4. Omnes circumstantiæ, tum quæ speciem mutant, tum quæ solum addunt malitiam mortalem ejusdem speciei.

speciei. 5. Ipsi actus externi, & effectus mali ad damna inde secuta. 6. Peccatum Complicis, & persona, quæ fuit objectum peccati, dum aliter proprium peccatum sufficienter exponi nequit. 7. Omnia mortalia dubia. Prob. quia, ut probavi, horum omnium declaratio præcepta est à Christo, qui instituit Sacramentum Pœnitentiæ per modum iudicii reconciliativi & punitivi, in quo videlicet non solum reus absolvatur, sed etiam convenienter puniatur, & contra relapsum præmuniatur. Talis autem iudicii rectitudo & æquitas exigit cognitionem adæquatam causæ, quantum moraliter haberi potest.

Hinc qui sine justa causa aliquod mortale, vel circumstantiam necessariam scienter celat, facit Confessionem nullam & sacrilegam; ex Trid. cap. 5. ibi: *Qui scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Quare non solum illud mortale sacrilegium, sed etiam omnia alia mortalia quæ confessus, est tenetur iterum sigillatim confiteri: nam ex præcepto Christi omnia peccata subijci debent validæ absolutioni.

Resp. II. Integritas materialis non requiritur absolutè: quia sæpe est impossibilis cognitio omnium omnino mortalium, etiam post diligens examen. At ex Trid. cap. 5. *impium est Confessionem, quæ præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam conscientiarum appellare.*

Resp. III. Absolutè sufficit integritas formalis:

lis: quia Confessio formaliter tantum integra, est ea in qua ex gravi iusta causa, vel oblivione inculpabili omittuntur aliqua peccata. At talis Confessio sufficit: nam secundum Doctores omnes varia sunt causae iustae excusantes a Confessione omnium mortalium, quae generatim ad impotentiam physicam & moralem revocantur: quia Christus noluit, ut Sacramentum poenitentiae institutum in gratiam fidelium lapsorum, & ut medium ad justificationem necessarium, foret illis non solum absolute, sed etiam moraliter impossibile, ob damnum aliquod valde grave Confessionis extrinsecum.

Hinc a Confessione integra materialiter excusantur. 1. Qui ex oblivione inculpabili, vel ignorantia invincibili aliquod mortale omittunt. 2. Muti si per gestus, scripturam, vel alia signa nequeant omnia declarare. 3. Qui versantur in periculo moriendi ante absolutionem, nisi mox detur, nunc etiam auditis aliquot absolvendi sunt. 4. Cum in naufragii periculo imminente, vel instante pugna nequeunt omnes integre confiteri; tunc sufficit Confessio confusa, quam omnes simul significant se peccasse, dolere de peccatis, & velle absolvi. Imò tunc poterunt simul absolvi, si necesse sit per hanc formulam, *Ego vos absolvo ab omnibus censuris & peccatis.* Si tamen unusquisque potest saltem aliquod peccatum in particulari confiteri privatim, ad id tenetur.

5. li, quorum idioma non nisi ex parte intelligi potest à Confessario, si nequeant alteri confiteri, sitque necessitas confitendi, vel juxta aliquos urgeat præceptum annuæ Confessionis. 6. Sacerdos, dum peccatum suum confiteri nequit absque fractione sigilli Confessionis. 7. Quicumque confiteri nequit aliquod peccatum sine gravi damno Confessionis extrinseco temporali, vel spirituali, sive proprio, sive etiam alieno: nam lex charitatis obligat ad diligendum proximum sicut nos ipsos, & proinde ad vitandum ejus damnum; ut si prudenter timeas ne Confessarius, qui solus haberi potest, frangat sigillum, vel ex tua Confessione sumat occasionem peccandi, vel graviter nocendi proximo. Sed tunc requiritur justa causa confitendi hinc & nunc tali Confessario, ut præceptum confitendi vel necessitas celebrandi aut communicandi ad vitandum grave scandalum, aut infamiam; alioqui adeundus est alius Confessor, vel differenda Confessio, si commodè differri queat. Item si infirmi vires periclitentur, in accuratiori peccatorum declaratione; vel si integra Confessio laborantis morbo valdè contagioso à longè audiri nequit, nec prope sine periculo proximo mortis Confessoris, tunc audito uno aut altero peccato potest absolvi. At magnus populi concursus, die indulgentiæ vel festivitatis magnæ ut Paschatis, per se præcisè non excusat ab integritate Confessionis: quia tunc

non adest sufficiens necessitas dimidianda Confessionis; & maximi inde abusus ac magna incommoda orientur. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis, v. g. potest contingere in die alicujus magnæ Festivitatæ, aut indulgentiæ.*

Dixi, Confessionem extrinsecam, nam incommodum Confessionem velut intrinsecam, seu natum sequi ex ipsâ Confessione, ut confusio pœnitentis, vel jactura bonæ opinionis apud Confessarium, &c. non excusat: alias nullum esset præceptum Confessionis, nec per se obligaret.

Q. II. *An pœnitens tenetur diligens examen præmittere Confessionem?*

Resp. Aff. Prob. 1. ex Trid. sess. 14. cap. 5. dicente præcipi Confessionem omnium mortalium, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent... *Et a pœnitentibus exigi, ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiam suam sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum mortaliter offendisse meminerit. 2. Qui præcipit actum, simul præcipit etiam media ad illum necessaria. At diligens examen est necessarium ad confitenda omnia peccata. Ea autem diligentia adhiberi debet, quam in rebus gravissimis ponere solemus, ait Catechism. Roman. & quæ moraliter sufficiat*

ciat ad cognoscenda peccata commissa, consideratis capacitate, & memoriâ pœnitentis, diuturnitate temporis ab ultimâ validâ Confessione transacti, multitudine & qualitate negotiorum, obligationum, occasionum, & consuetudine peccandi, aliisque circumstantiis. Quare non æquale in omnibus requiritur examen, sed in aliis brevius, in aliis longius.

Q. 12. Quando nam iterari debet Confessio?

Resp. Quoties fuit nulla, sive culpabiliter, sive inculpabiliter; sive ex parte pœnitentis defectu doloris, vel propositi sufficientis, integritatis formalis, vel ob notabilem negligentiam in excutienda conscientia, nisi Confessor eam suppleverit: sive ex parte Confessarii defectu potestatis aut intentionis requisitæ: quia in his casibus Sacramentum fuit nullum, & sic peccata non fuerunt per illud remissa. Omnia autem peccata mortalia debent subjici potestati clavium & remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, ideóque per Confessionem, & Contritionem debitam & absolutionem validam. Idem dic si dubium sit an Confessio irrita fuerit; nam præcepto certo non satisfacit per dubiam executionem, & in dubio pars tutior eligi debet.

Sed an is qui fecit Confessionem aliquam invalidam, tenetur cum illa omnes subsequentes iterare?

Z. 5,

Resp.

Resp. Tenetur, si eas fecit cum conscientia Confessionis invalidæ, quia reverâ sunt omnes invalidæ, ob defectum essentialem. At si post unam Confessionem invalidam, postea fecit aliàs cum debita dispositione, & bona fide procedens, præcedentis defectûs nullam habens memoriam: non tenetur, inquit Sylvius, has repetere, sed solum illam, vel illas, quas fecit cum conscientia defectûs: quia illæ aliæ fuerunt validæ, cum habuerint omnia necessaria ad bonam Confessionem.

Q. 13. An est mortale mentiri in Confessione?

Resp. I. Mortale sacrilegium est omne mendacium in materia Confessionis necessaria, ut si pœnitens falsò neget se commississe mortale nondum legitimè confessum, vel circumstantiam necessariam: vel si neget aliquid aliud grave, quod interrogatus à Confessario tenetur aperire, qualis est peccandi consuetudo, dispositio præsens, &c. Nam tunc in re gravi ad Sacramentum, vel ejus rectam administrationem pertinente decipit Judicem suum, & Medicum à Christo institutum, ut secundum cognitionem per Confessionem partam, & pœnas peccatis proportionatas imponat, & remedia opportuna præscribat. Idem dic, si contra conscientiam falsò asserat se commississe mortale: quia judicem suum, in re gravi ad iudicium Sacramentale pertinente & necessaria decipit, & per illam additionem

tionem in re gravi ejus judicium pervertit. Secus, si verum putat. Item mortaliter peccat, qui in Confessione generali falsò asserit se jam peccata aliqua mortalia confessum fuisse: quia in re gravi & necessaria decipit Confessarium, qui putat mortalia illa jam declarata & remissa fuisse, nec jam esse materiam necessariam Sacramenti; unde non potest prudenter pœnam convenientem pro illis statuere; nam non eadem pœna pro peccatis mortalibus nondum Sacramentaliter remissis, quæ pro peccatis sic jam remissis imponi debet.

Resp. II. Mendacium in materia non necessaria, hoc est, quam non teneatur sub mortali confiteri, ut sunt peccata venialia, vel mortalia jam legitimè Confessa & remissa, quorum cognitio non est necessaria ad rectè administrandum Sacramentum, est ex communi solùm venialis. Quia tunc non decipitur graviter iudex in ordine ad debitum judicium, cum materia non sit necessaria, nec spectet ad substantiam judicii necessariæ. Est tamen veniale gravius ob irreverentiam Sacramenti. Esset autem mortale, si aliunde non daretur materia valida Sacramenti, nam tunc irrita redderetur absolutio.

Q. 14. *An peccata Venialia sunt materia sufficiens Confessionis, licet non necessaria?*

Resp. Aff. Ita Trid. sess. 14. cap. 5. *Venialia quamquam rectè & utiliter, citràque omnem præsum-*

sumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Nam Christus dedit Sacerdotibus potestatem remittendi generatim omnia peccata, quæ remitti possunt, Jo. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Porro extra casum necessitatis non sunt confitenda venialia tantum in genere, sed debet aliquod addi in specie, v. g. aliquod mendacium, tum quia est contra praxim fidelium: tum quia accusatio & iudicium per se loquendo fieri debent circa materiam in specie determinatam. Ita Suarez, & alii communius.

Q. 15. *An quævis peccata jam remissa per Absolutionem, sunt semper materia sufficiens novæ Confessionis?*

Resp. Aff. *Communis* & certa sententia est, inquit Suarez. Prob. 1. ex extravag. Benedicti. XI. de Privil. ubi ait eadem peccata iteratò confiteri salubre esse. 2. Quia peccata jam remissa possunt esse materia Contritionis & Confessionis, atque possunt adhuc remitti remissione priorem confirmante per novam gratiam; & Christus remittendi potestatem non restrinxit ad unum actum remissionis, propter majorem utilitatem animarum. 3. Ex piorum ac Doctorum hominum usu Ecclesiæ noto, nec reprehenso: quæ probatio valet, nam hanc adhibet Trident. sup. citat. ad

ad probandum valorem Confessionis venialium.

Not. Confessor dubitans an ea, quæ Pœnitens confitetur, sint peccata etiam venialia, non potest eum absolvere; quia non licet applicare formam materiæ dubiæ, alioqui exponeretur Sacramentum periculo nullitatis: sola autem peccata sunt materia remota Pœnitentiæ: quare ut detur materia certa, curare debet ut Pœnitens confiteatur peccatum certum jam alias remissum; & illud in Contritione includat.

Q. 16. An Confessio necessario fieri debet voce?

Resp. I. Id non est de essentia Sacramenti, sed Confessio potest validè fieri, nutibus, gestibus, vel scripto, si desit facultas loquendi. Constat 1. ex præxi Ecclesiæ, quæ mutos, & moribundos vocis usu destitutos per nutus, vel alia signa confitentes absolvit: & ex Rituali Romano docente moribundum vocis usu destitutum absolvendum esse. 2. Quia Christus solum præcepit Confessionem, quâ peccata declarentur Sacerdoti ut judici: quod sufficienter fieri potest per nutus, vel Scripturam.

Resp. II. Non licet absque necessitate aliter quàm voce confiteri. Constat 1. ex communi TT. consensu. 2. Ex consuetudine Ecclesiæ vim legis obtinente, & obligante graviter, utpotè de re spectante ad convenientem

tem modum perficiendi Sacramentum: nam verba sunt aliis signis longè aptiora ad significandum, & ex S. August. tenent in significando principatum. 3. Ex Florent. requirente Confessionem oris, & ex Benedicto XI. in Extrav. *Inter cunctas* de Privil. ibi: *nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris Confessio exigitur.* Et verò alia signa non sunt inducta, nisi in supplementum verborum vocalium.

Resp. III. Qui voce non potest, tenetur aliis signis, etiam scripto, confiteri, etiam extra mortis periculum. Quia præceptum confitendi, obligat saltem, cum sine gravi damno Confessioni extrinseco observari potest. At hic modus confitendi nullum damnum saltem grave affert. Neque Scriptura est per se instrumentum publicationi obnoxium, & potest statim comburi vel lacerari.

Q. 17. *An excusatur à Confessione, qui confiteri nequit nisi per interpretem?*

Not. Ex Trid. sess. 14. c. 5. neque est necessarium jure divino, ut Confessio publicè fiat, sed valet Confessio secreta & auricularis; neque à Christo prohibitus modus publicè confitendi. Unde ex communi valet Confessio sive secreto, sive publicè fiat; nam ad valorem Sacramenti solum requiritur accusatio peccatorum facta Sacerdoti ut judici: hæc autem potest esse utroque hoc modo.

Resp.

Resp. Multi docent neminem ex vi præcepti Confessionis obligari ad confitendum per interpretem, licet rectè possit, eò quòd Christus nos non obligarit ad declaranda peccata, nisi soli Sacerdoti absolutionis Ministro; nec ex Trid. sess. 14. c. 5. Christus præcepit ut peccata declararentur publicè, id est, coram aliis. Præterea Conc. Later. 4. præcipit solùm ut Pœnitens omnia sua solus peccata confiteatur Sacerdoti.

Tamen S. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 3. Postquam dixit: *In eo qui usum linguæ non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguæ, sufficit quòd per Scriptum, aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plusquam possit.* Ait generatim: *Quando non possumus uno modo, debemus secundùm quod possumus confiteri.* Certè ad id tenemur saltem ex præcepto charitatis propriæ, si alioqui diu abstinendum esset à Confessione; quia tunc periculum esset diu permanendi in peccato, cum difficile sit, nec ita frequens habere Contritionem perfectam; hæcque obligatio maximè urget in periculo mortis, ubi tenemur omnia media tutiora adhibere ad salutem consequendam. Non pauci autem dicunt sufficere tunc confiteri per interpretem aliquod duntaxat peccatum, accusando se de cæteris in generali: nam integra peccatorum Confessio, præcepta est, dum moraliter fieri potest soli Sacerdoti. Sed De Lugo docet præceptum divi-

divinum obligare ad confitendum in articulo mortis omnia mortalia per interpretem, eo quod manifestatio peccati apud duos sigillo obstrictos non sit detrimentum ita grave, ut propter illud præceptum divinum confitendi omnia mortalia prorsus omittatur, & non tantum differatur. Neque talis Confessio potest censeri publica, sicut neque est publica Confessio quâ idem peccatum reservatum manifestatur Superiori, & inferiori. Additque ob eandem rationem nos teneri in articulo mortis confiteri omnia mortalia, etiamsi sciremus Sacerdotem aliquod revelaturum alteri, si nullum aliud malum timeatur, nisi meræ notitia peccati manens in uno alio, qui tali notitia in nullius præjudicium possit uti. Et hoc puto servandum in præxi.

Q. 18. *An Confessio Sacerdoti præsentis necessario fieri debet?*

Resp. Aff. Prob. 1. ex usu totius Ecclesiæ. 2. Ex Tridentino sess. 14. c. 2. Christus eos, qui se post Baptismum crimine aliquo contaminarunt, ante hoc Tribunal (Sacramenti Pœnitentiæ) tanquam reos sibi voluit. Ergo ex institutione Christi ad validam absolutionem requiritur, ut Pœnitens coram Sacerdote iudice sistatur, & personaliter compareat. 3. Quia ante absolutionem per se loquendo necesse est, ut Sacerdos expendat causam, ac præsentem dispositionem Pœnitentis, & de ejus statu ac debitâ dispositione prudenter iudicet;

dicet; quod in absentia fieri nequit. 4. Ex Decreto Clementis VIII. dato an. 1602. quo hanc propositionem scilicet, *licere per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam. & scandalosam damnavit, ac prohibuit.* Quod intelligendum est non solum conjunctim, nempe quoad Confessionem & Absolutionem simul, sed etiam divisim nempe quoad alterutram, ut postea declaravit ipse Clemens, & Paulus V.

Q 19. *Quenam observanda sunt circa præceptum Ecclesiasticum Confessionis?*

Resp. Sequentia 1. hoc præceptum obligat omnes fideles adultos ad confitendum saltem semel in anno, ex Concil. gener. Later. 4. c. 21. ibi: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Idque sub mortali, ut patet tum ex gravitate materiae, tum ex poena adjuncta; *Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, & moriens Christianam careat sepulturam.* Nomine proprii Sacerdotis intelligitur quidem Parochus, sed sine exclusione Episcoporum & Sacerdotum ab iis delegatorum. Nam Episcopi eandem & longe majorem jurisdictionem habent in Parochianos, suntque Pastores ipsorum Parochorum:

Tom. III. A a qua=

quare hic Canon intelligitur salvo jure Episcoporum.

2. Præcipitur Confessio valida, Sacramentalis, & apta ad reconciliationem cum Deo, ideóque per absolutionem validam terminata: nam ex Trid. cap. 5. Ecclesia id præcipit, ut Præceptum divinum Confessionis saltem semel in anno impleretur: ac proindè non aliam Confessionem præcipit, quam Deus: at Deus præcipit Confessionem validam, ac dolorosam, quam sequatur absolutio. Hinc Alex VII. damnavit hanc propos. *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesie.*

3. Qui toto anno Confessionem omisit, tenetur confiteri primâ die anni sequentis, si potest, aut primâ datâ opportunitate, & continuè donec impleverit: alioqui peccat deinceps, & toties quidem quoties potest commodè confiteri, & omittit: nam Ecclesia absolute præcipit Confessionem annuam, primariò propter se prohibetque ejus dilationem ultra annum: ita ut annus designetur non ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem jure divino impositam, & ut terminus ultra quem non differatur Confessio, & ultra quem remaneat obligatio; ut patet ex his verbis Conc. Trident. *Saltem semel in anno;* lex enim Ecclesiæ lata fuit, ut fideles non nimium differrent observationem præcepti divini. Ergo qui elapso anno statim non confitetur, violat

violat præceptum, & continuè tenetur confiteri, perindè ac qui non solvit censum annuum solvere continuè tenetur transacto anno.

Item ex vi hujus præcepti tenentur fideles anticipare Confessionem in quâvis parte anni, si prævideant fore ut omisâ illâ occasione nequeant postea toto illo anno confiteri, v. g. ex longa navigatione, vel peregrinatione, per terras infidelium: quia hoc præceptum non terminatur ad finem anni, sed obligat ad confitendum saltem semel in anno: quæ obligatio currit toto anno, ideóque in illo complenda. At si homo positus in illa occasione non confiteatur statim, non implebit præceptum in anno, seu obligationem annuam.

4. Quamvis hoc præcepto certum anni tempus confitendi non statuatur, tamen consuetudo invaluit confitendi intra Quadragesimam, vel Quindenam Paschalem approbata à Trid. Quare juxta multos annus pro servando hoc præcepto computatur ab una Quindenâ Paschali ad aliam, & ita fert fidelium praxis; & reipsâ solum eo tempore Pastores Confessionem à fidelibus exigere solent.

5. Pœna Interdicti à Conc. Later statuta in omittentem annuam Confessionem, vel Paschalem Communionem, est solum sententiæ ferendæ, uti verba indicant. Quare ad eam imponendam requiritur auctoritas Ordinarii, cum Parochi careant jurisdictione in foro externo.

Sed an tenentur hoc præcepto, qui solius cu' peccata venialis sibi conscii sunt?

Resp. Multi negant: quia 1. Conc. Later. & Trident. præcipiunt Confessionem omnium peccatorum, ergo non loquuntur de venialibus. 2. Ex Trident. sess. 14. c. 5. Ecclesia solum statuit, ut divinum præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus observaretur: at præceptum divinum non obligat ad confitendum venialia, ex eod. cap.

Affirmant Richard. Alensis, S. Bonav. Sylvest. Fagnan. & aliqui recentiores: quia alioqui minæ Interdicti per Canonem intentatæ inutiles forent, nam fideles causarentur se sibi non esse conscios mortalium: undè ut præceptum divinum ab omnibus religiosè servaretur, Ecclesia præcepit, ut omnes & singuli licet sibi solum venialium conscii, semel in anno confiterentur.

S. Thom. hanc opinionem ita amplectitur, ut oppositam non rejiciat, nam in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 3. ad 3. sic ait: *Dicendum quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesie, quando non habet alia, quæ confiteatur, Vel potest dici secundum quosdam, quod ex Decretali prædictâ non obligantur, nisi illi, qui habent peccata mortalia, quod patet ex hoc quod dicit, quia debet omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest. Et hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad Confessionem venialium; sed sufficit ad præceptum*

praeceptum Ecclesiae implendum, ut se Sacerdoti representet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro Confessione reputatur.

ARTICULUS III.

De Satisfactione.

Q. I. **A** N Talem Satisfactionem imponere tenetur Confessor?

Not. 1. Satisfactio hinc sumitur pro voluntaria sui ipsius punitione, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam: duplex est, nempe Sacramentalis, de qua hinc agitur; & non Sacramentalis, quae fit non solum piis ac laboriosis operibus sponte susceptis, sed etiam malis ac ærumnis hujus vitae à Deo inflatis, & patienter toleratis, ut docet Trid. sess. 14. c. 9.

Not. 2. Satisfactio Sacramentalis est Pœnitentia seu actio una vel multiplex bona & pœnalis, à Sacerdote iudice legitimo imposita ad puniendam ac reparandam injuriam Deo illatam, vel etiam ad præcavendam futuram. Cum autem homini carnali & ad malum propenso opus quodlibet bonum sit pœnale, utpote ejus naturæ corruptæ contrarium; ideò omnis actus virtutis, etiam merè internus, in Satisfactionem imponi potest. Satisfactio Sacramentalis alia est vindicativa, quae datur præcisè ad præterita peccata vindicanda; &

Medicinalis, quæ datur præcipuè ad præcavenda futura in posterum. Sæpe autem eadem actio utrumque præstare potest.

Porrò cum Satisfactio à Confessore imposta, sit pars integralis Sacramenti, & in ea operetur vis clavium, *amplius valet ad expiandum peccandum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus.* S. Thom. quodlib. 3. q. 13. ob uberiores meritorum Christi applicationem. Item plus aut minus pœnæ temporalis ex opere operato remittit prout gravior, vel levior est; & majore vel minore devotione peragitur.

Resp. I. Confessor tenetur Satisfactionem imponere Pœnitenti valenti illam exequi. Constat 1. ex Trid. sess. 14. c. 8. & ex traditione, ac perpetua praxi Ecclesiæ. 2. Quia Satisfactio est pars integralis Sacramenti, ex Trid. can. 4. At Minister quantum potest, tenetur procurare integritatem Sacramenti. 3. Ut iudex, æquitatem servare debet: unde cum judicet inter Deum & hominem, sicut debet absolvere hominem rectè dispositum, ita curare debet, ut homo satisfaciat Deo, & ut Medicus tenetur curare vulnera Pœnitentis. Quare gravis est obligatio Satisfactionem aliquam imponendi pro mortali; imò etiam juxta multos pro solis venialibus, aut mortalibus jam aliàs Confessis; quia gravis videtur irreverentia Sacramentum voluntariè privare sua integritate, seu parte integrali.

Dixi

Dixi *Valenti*, &c. Nam Absolutio sine impositione Pœnitentiæ danda est moribundo, qui inter confitendum sensuum usu, & cognitione privatur, ut constat ex praxi Ecclesiæ.

Resp. II. Confessor tenetur imponere Satisfactiones convenientes, & salutare, tum vindicativas, tum Medicinales, proportionatas numero, ac gravitati peccatorum, & Pœnitentis facultati, ac dispositioni. Constat ex Patribus, & multis Conciliis, & præsertim ex Trid. sess. 14. c. 8. ibi: *Debent Sacerdotes, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutare & convenientes Satisfactiones injungere; ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut Satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam, claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Ratio est, quia Confessor à Christo institutus est, tum ut iudex non solum solvens, sed etiam ligans seu vindicans servatâ æquitate, ut ibi docet Trident. ac proinde debet servare æquitatem in pœnis præscribendis: tum ut Medicus, ut constat ex Patribus, Conciliis variis, ac præsertim ex Conc. gener. Later. 4.

cap. Omnis ubi ait: *Sacerdos sit discretus, & cautus, ut more periti Medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati; diligenter inquirens peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale illi debeat præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum agrotum.* Hinc patet, hanc obligationem esse ex genere suo gravem.

Observ. 1. Salutares, & convenientes Satisfactiones, quas Justitia divina exigit, generatim sunt, ex Trid. sess. 14. cap. 8. illæ, quæ magis a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent, cautioresque, ac vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt... & quibus, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur, certissimam inde arrham habentes, quod si compati mur, & conglorificabimur.

2. Satisfactiones Medicinales convenientes sunt ex, quæ peccatorum causas, ac radices reseccant, malos habitus tollunt, pravas cupiditates coercent, occasiones peccandi remouent, vitia curant, & Pœnitentis emendationem, ac profectum pariunt. Tales sunt actus virtutum interni, & externi vitii Pœnitentis oppositi: contraria enim contrariis curantur. Quare Rituale Roman. ait: *Contrarias peccatis Pœnitentias injungat, velut avaris elemosynas,*
libi-

libidinosi jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia &c. Item crebra oratio, sed præsertim matutina, & serotina quotidiana; examen quotidianum conscientia, auditio quotidiana Missæ, piæ meditationes, præsertim Passionis Christi, & extremorum; lectiones librorum spiritualium, auditio concionum; frequens Confessio, cura singularis vitium capitale emendandi, fuga otii, occasionum peccandi, voluptatum, & delectationum inutilium; utilis collocatio temporis suo statui congruens, & ordo actionum cujusque diei suis obligationibus accommodatus, sensuum, & cupiditatum mortificatio, crebri actus fidei, spei, charitatis, contritionis, & aliarum virtutum vitii & pravis cupiditatibus contrariarum; cogitatio præsentia Dei omnia ubique, & semper insipientis, devotio singularis erga B. Virginem; quæ consistat tum in ejus invocatione, tum in imitatione mirabilium ejus virtutum; Confessio generalis annua, secessus per aliquot dies ad vacandum exercitiis spiritualibus secundum rationem à S. Ignatio traditam, &c. Mensura autem satisfactionum medicinalium est necessitas, & infirmitas Pœnitentis; nec unquam imminui debent, cum Satisfactiones illæ sint remedia ad peccatorum fugam, & Pœnitentis emendationem, ac profectum necessaria: unde in his integritatem, & severitatem adhibere debet Confessor, ait Suarez. Quare

Aa 5

Con-

Confessor naturam, & causam, seu radicem, ac motivum peccatorum Pœnitentis prius investiget, & inquiret, ut remedia eorum emendationi apta apponat.

3. Satisfactiones Vindicativæ, seu pœnales, ut sint salutare, & convenientes, debent esse proportionatæ non solum multitudini, & gravitati peccatorum, sed etiam facultati, conditioni, & dispositionibus Pœnitentis; ita ut in iis imponendis habeatur ratio ejus infirmitatis, valetudinis, laboris, statûs, officiorum, paupertatis, &c. prout prudentia, & charitas suggerent. Neque enim salutare sunt Pœnitentiæ tam graves, ac diuturnæ, ut spectatâ Pœnitentis fragilitate, periculum sit, ne eas omitteret; nam tunc in ejus exitium verterentur: in hoc autem Sacramento magis intenditur emendatio, & salus Pœnitentis, quàm Satisfactio pro pœnâ. Si ergo expediat ad bonum spirituale Pœnitentis, potest imponi levior pœna, quàm mereatur, idque tandem cedit in majorem Dei gloriam, qui vult præcipuè curationem Pœnitentis. Quare S. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 21. ait: *Debet Confessor dare talem Pœnitentiam, quam credat verisimiliter illum implere: ne ipsam violando, deterius ei contingat.* & S. Carol. in instruct. Confess. monet non debere imponi tam gravem, ac diuturnam Satisfactionem, ut Pœnitens ei obsequi recuset, aut acceptatam integrè non impleat; nec ordinariè injungenda esse jejunia iis, qui vitæ
sub.

subsidia labore manuum parant. Confessarius igitur poenitentem *interroget, an possit Poenitentiam sibi injunctam peragere: alioquin eam pro sua prudentia immutet, aut minuat, ait Rituale Parisiense.* Tunc autem monendus est, leviozem Poenitentiam imponi, quàm mereantur ejus peccata, ut ipse moveatur vel ad majorem petendam, vel ad alias ultro sumendas, cum melius dispositus erit.

Porro mensuram poenae ex judicio Ecclesiae peccatis debita indicant Canones Poenitentiales, quos proinde scire debet Sacerdos: nam licet poenae per illos statuta, spectata facultate & infirmitate Poenitentis, minuenda sint, tamen saepe Poenitentibus proponenda sunt, quò magis criminum gravitatem cognoscant, indeque fiant ad Poenitentiam acceptandam promptiores. Ita S. Carol. in instruct. Confess.

§. Satisfactio ante Absolutionem imponenda est, tum ut exploretur debita Poenitentis dispositio, & voluntas faciendi fructus dignos Poenitentiae; tum quia ordo judicii, & justitiae vindicativae postulat, ut prius Poenitens Satisfactionem spondeat, & acceptet, quàm absolvatur. Si tamen fortè Sacerdos Absolutionem praemisisset, tenetur eam postea injungere.

Sed an Confessor debet habere distinctam singulorum peccatorum memoriam, dum imponit Satisfactionem?

Respon-

Respondet Sylvius satis esse sic audire, & intelligere omnia quando dicuntur, ut in Satisfactione injungendâ sufficienter meminerit statûs Pœnitentis, ad eam competenter injungendam. Et verò sapè impossibile est saltem moraliter, ut Confessor distinctè singula tunc meminerit.

Q. 2. Quænam opera in Pœnitentiam imponenda sunt?

Resp. Ex Patribus & Conc. Florent. & Trid. sess. 6. c. 14. tria sunt præcipua ad quæ cœterarevocantur; nempe jeiunia, eleemosynæ, orationes; nam hæc sunt Satisfactiones pœnales simul, & medicinales: per jeiunium intelligitur omnis corporis afflictatio, & voluptatum sensuum etiam licitarum privatio, nam species ibi ponitur pro genere; per eleemosynam omne opus misericordiæ tum spiritualis, tum corporalis; per orationem omnis actus religionis, & pietatis in Deum, ut Dei laudes, piæ meditationes ac lectiones, auditio Missæ, & concionum, susceptio Sacramentorum, examen conscientiæ, oblatio actionum suarum Deo facta ad ejus gloriam, actus fidei, spei, charitatis, contritionis, &c.

Q. 3. An imponi possunt opera aliunde præcepta?

Resp. Non possunt sola licitè imponi, si Pœnitens possit alia præstare. Prob. ex Trid. sess.

14. c.

14. c. 8. Satisfactio, quam imponunt, non fit tantum ad novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. At operam aliunde præcepta nequeunt esse ad vindictam, & castigationem peccatorum præteritorum: nam etiamsi nulla peccata commisisset Pœnitens, teneretur illa præstare, nec illis iterum impositis puniri censetur. Idcirco restitutio iniuriæ, & damni compensatio, fuga occasionis peccandi, non sunt Satisfactiones vindicativæ.

Porro Confessor censendus est imposuisse opus non aliunde præceptum, nisi aliud exprimat, vel ex circumstantiis colligi queat: nam hæc est rationabilis ejus intentio. Quare si simpliciter imponat ieiunium, Pœnitens non satisfacit ieiunando uno die, quo ex præcepto Ecclesiæ vel ex voto tenetur.

Q. 4. An imponi debet Pœnitentia publica?

Resp. I. Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam Pœnitentiam non imponant: ait Rituale Roman. nam esset improporcionata, & contra usum Ecclesiæ, & quodammodo infamativa Pœnitentis.

Resp. II. Imponenda est Pœnitentia publica pro peccatis publicis, ita Trid. sess. 24. c. 8. Apostolus monet publicè peccantes palàm esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde

unde alios scandalô offensus, commotósque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplô suô ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimoniô ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc Pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. Nec tunc (inquit S. Thom.) Confessor, sed Pœnitens ipse Satisfactionem implendo, manifestat suum peccatum jam aliàs notum, & inducitur tantum ad id, quod ex se facere debet ad scandalum tollendum. Sine tamen Episcopi consilio, & auctoritate imponi non debet Pœnitentia publica cum certa solemnitate peragenda, ut stando ad fores Ecclesiæ cum cereo accenso, &c. Sed quivis Confessor potest, & debet injungere Satisfactiones, quæ sine solemnitate peragantur coram iis, qui scandalum passi sunt, dum aliter tolli nequit, v. g. ut retractent sermones contra fidem, bonos mores, religionem, vel calumnias coram iis, qui audierunt, &c. Nam scandalum necessariô tolli debet.

Q. 5. An potest injungi satisfactio applicanda aliis, v. g. defunctis?

Resp. Aff. Quia tunc non applicatur aliis satisfactio secundum valorem, quam habet ex opere operato, sed secundum eum, quem habet ex opere operantis. Præterea actus ipse

ipse charitatis, quo quis applicat aliis satisfactionem sui operis, habet vim satisfactivam; hanc enim habet omne opus meritorium.

Q. 6. *An pœnitens tenetur acceptare & implere Pœnitentiam rationabilem injunctam?*

Resp Aff. Quia Sacerdos habet potestatem judiciale non solum solvendi, sed etiam ligandi, seu obligandi per impositionem Pœnitentiæ, ex Trid. c. 8. cit. Imò habet obligationem imponendi convenientem satisfactionem, ut ostendi: at talis potestas, & obligatio non potest esse in Sacerdote sine obligatione in Reo talem satisfactionem injunctam acceptandi, & exequendi: hæc enim sunt correlativa, & alioquin Sacerdotis potestas vindicativa esset inefficax. 2. Ex Conc. Later. c. *omnis ibi. Omnia sua peccata confiteatur fideliter, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere.* 3. Quilibet subditus tenetur obedire Judici, & Superiori justam sententiam ferenti. At Sacerdos, cui pœnitens per Confessionem se subjecit, imponit pœnitentiam ut Superior, & Judex; & tunc fungitur vice Christi, ejusque nomine, ac auctoritate ligat, sicut absolvit. 4. Ex Trident. sess. 14. can. 4. Satisfactio est pars Sacramenti, nempe integralis, & à Deo requiritur ad plenam, ac perfectam peccatorum remissionem. Pœnitens autem tenetur servare integritatem Sacramenti, præsertim cum ad illud concurrat. Quare hæc ob-
liga-

ligatio ex genere suo gravis est, cum ejus materia pertineat ad Religionem, & justitiam divinam.

Nec excusatur Pœnitens eò, quòd velit alium adire: nam non licet pœnitenti sine justa causa Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis justum judicium, cui se jam subjecit. Pœnitens quidem ante Confessionem poterat alteri confiteri, sed facta Confessione tali Sacerdoti, hic jam fungitur vice Christi, ejusque auctoritate ligat; *nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent: ait Trid. sess. 14. c. 8.*

Hinc mortaliter peccat, qui Pœnitentiam pro mortali impositam, vel notabilem eius partem culpabiliter omittit: nam qui tenetur aliquid præstare, ad id obligatur per se sub mortali, si res gravis sit. Quòd si sit levis, & imposita pro solis venialibus, vel mortalibus iam aliàs confessis, secundum multos est duntaxat veniale illam omittere, secluso contemptu, & scandalo: quia completio integralis partis per materiam levem non obligat nisi leviter pro ratione materiæ. Aliqui tamen putant esse mortale: quia gravis irreverentia Sacramento infertur, illud privando tota sua integritate, & complemento non accidentali. Et quamvis hæc materia secundum se sit levis; tamen gravis censetur respectu Sacramenti, cum sit ejus tota pars integralis. Delugo fa-
tetur

tetur esse mortale omittere satisfactionem pro solis venialibus impositam, si hæc gravis sit, v.g. ieiunium: quia obligatio eam implendi oritur à potestate iudicis, & res præcepta est gravis, & capax præcepti gravis.

Imò si Confessor leviozem poenitentiam imposuisset, Pœnitens tenetur supplere: nam lege divina tenemur satisfacere Deo in hac vita etiam pro pœna temporali peccatis quoad culpam remissis debita, ut constat 1. Ex Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in sletu, & in plânctu.* Per ieiunium intelligitur omne opus pœnale. Item ex Matth. 2. *Pœnitentiam agite.* & Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* quæ duo ex Trid. sess. 6. c. 14. non solum Contritionem, & vitæ emendationem significant, sed etiam *satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, alia pia spiritualis vitæ exercitia, pro pœna temporali, quæ non tota semper, ut in Baptismo, dimittitur.* 2. Ex præcepto naturali, & divino virtutem poenitentiae tenemur, quantum possumus, Deo plenè satisfacere in hac vita pro injuriis ipsi illatis: nam ipsa ratio dicat, Deo non minùs, quàm hominibus plenè satisfaciendum esse, quàm primum fieri potest moraliter. Hæcque obligatio gravis est pro mortalibus.

Porrò ex Trid. sess. 14. c. 9. satisfacimus Deo non solum piis, ac laboriosis operibus à Sacerdote injunctis, vel sponte susceptis, sed

etiam malis, ac ærumnis hujus vitæ patienter propter Deum toleratis.

Q. 7. Quando nam Pœnitens tenetur implere Pœnitentiam?

Resp. Tenetur tempore à Confessore præscripto; nam circumstantia temporis in præcepto includitur. Dilatio tamen satisfactionis ad paucos dies, etsi sine necessitate, potest esse tantum venialis, nisi ad finem iniunctæ pœnitentiæ magni referat illam impletam esse tempore præfinito, v. g. ad superandas tentationes urgentes. Quod si Confessor nullum tempus determinavit, tenetur pœnitens satisfactionem implere quam primum commode potest; ita ut peccet mortaliter, si illam ex gravi negligentia diu differat: nam integritas Sacramenti, & ratio debiti, iustæ satisfactionis, ac Medicinæ, & rationabilis intentio Confessoris executionem celerem exigunt.

Qui autem Pœnitentiam quocumque modo distulit, tenetur eam postea, quam primum potest persolvere: nam dilatio solutionis debiti ultra terminum, non liberat debitorem onere illud solvendi; & intentio Confessoris est, ut satisfactio absolutè fiat; tempus verò præfinitur solum ad non differendam solutionem.

Q. 8. Quomodo, & in quo statu impleri debet satisfactio?

Resp. I. Satisfactio impleri debet ex motivo

pio,

pio, ac supernaturali, & sine affectu ad mortale: quia satisfactio Sacramentalis est pars integralis Sacramenti, & actus virtutis pœnitentiæ præceptus ad compensationem quamdam iniuriæ divinæ: ergo debet esse actio moraliter bona, supernaturalis, elicitæ saltem ex motivo placandi Deum, eiusque iniuriam compensandi. Quæ voluntas est impossibilis cum affectu ad mortale.

Resp. II. Qui Pœnitentiam in peccato mortali exequitur, peccat saltem venialiter: quia Sacramenti partem indignè suscipit; & ponit obicem effectui, nempe remissioni pœnæ temporalis, quæ est effectus secundarius, pendens à primario, nempe gratiâ sanctificante. Tamen ex communiore sententiâ talis non tenetur postea satisfactionem repetere, eò quòd substantiam præcepti impleverit; & quia in Ecclesia veteri exigebatur saltem magna ex parte executio satisfactionis ante absolutionem, ac proinde ante remissionem peccatorum saltem ordinariè; nam perfecta Contritio satis est infrequens. Imò iuxta multos sicut Pœnitentiæ ante absolutionem implendæ iussu Confessoris, reatum pœnæ temporalis tollunt, cum peccatum postea per absolutionem remissum fuerit: ita pœnæ post absolutionem peragenda, etiamsi in peccato postea superveniente impletæ fuerint, tamen sublato per iustificationem obice suum effectum assequuntur.

Q. 9. An Pœnitentia à Confessore imposta potest in aliam mutari?

Resp. I. Non potest à Pœnitente propriâ auctoritate mutari, etiam in aliud opus melius; tum quia nulla Satisfactio potest esse Sacramentalis, nisi imponatur à Ministro Sacramenti: tum quia Reus non potest mutare sententiam iudicis, nec subditus opus præscriptum à Superiore. Item ab alio Sacerdote mutari nequit, si fuerit conveniens, nec nimis acerba; cum imposta sit, clave non errante, per actum potestatis ligandi.

Resp. II. Ob iustam causam mutari potest in aliam convenientem. 1. Ab ipso Confessario, qui illam imposuit: nam hoc sæpè potest expedire ad bonum animarum, ad quod hoc iudicium ordinatur; & tunc non erit necesse repetere priorem Confessionem, si tempus, à quo facta est, sit adeo breve, ut moraliter censeatur idem iudicium, & Sacerdos adhuc recorderetur statum Pœnitentis. Sed hoc fieri debet in alia Confessione; quia est actus iudicialis, & usus clavium, qui non nisi in Sacramento exercetur. Quòd si Confessor non recorderetur amplius peccatorum, pro quibus priorem Pœnitentiam imposuit, requiritur nova eorum Confessio: quia impositio alterius Pœnitentiæ est actus iurisdictionis, qui fit à iudice, ut iudex est; ergo debet procedere cum notitia causæ.

2. Id etiam potest quivis alius Confessor,

si Sa-

fi Satisfactiones impositæ, sint irrationabiles, & contra prudentiæ regulas, & minimè convenientes: quia Sacerdos non habet potestatem tales iniungendi, nec proinde ad eas obligandi Pœnitentem; ideòque mutari possunt ab alio, qui in eodem tribunali idem potest, ac prior iudex, cui succedit. Sed tunc necesse est, ut apud ipsum fiat nova Confessio peccatorum, pro quibus imposita est Pœnitentia: quia Pœnitentiæ commutatio est impositio Pœnitentiæ loco prioris, ideòque actus iudicii Sacramentalis, alioqui Pœnitentia mutata non esset Sacramentalis. At ex Trid. sess. 14. c. 5. tale iudicium non potest nisi causâ distinctè cognitâ, & in sacro Tribunali rectè exerceri: neque enim Sacerdos habet potestatem ligandi, seu imponendi Satisfactionem Sacramentalem, nisi prout exercet iudicium, & potestatem clavium, precedente legitimâ accusatione sibi factâ. Hac Confessor Pœnitentiam ab alio impositam commutare nequit sine nova peccatorum absolute; nam non potest exercere iudicium Sacramentale, quin totum Sacramentum conficiat: unde etiam ex parte Pœnitentis requiritur nova Contritio. Caterùm ne prius Sacramentum sua integritate privetur, relinquendum est aliquid ex priore Pœnitentiâ præstandum.

Q. 10. *An Pœnitentia potest per alium persolvi?*

Resp. Neg. Quia r. Satisfactio imponitur

B. b 3

Pœ-

Pœnitenti per ipsum, non per alium perfol-
venda: nam ipsemet Reus debet pœnam debi-
tam subire; & cùm culpa sit personalis, perso-
nalis quoque debetur pro ea Satisfactio. 2. Ex
Trid. materia, & partes Sacramenti sunt tres
actus Pœnitentis, nempe Contritio, Confes-
sio, & Satisfactio: ergo Satisfactio, quæ est
pars materialis Sacramenti, debet esse actus
ipsius pœnitentis, non alterius; sicut nec
Contritio, vel Confessio alterius potest esse
materia in hoc Sacramento. Hinc Alex. VII.
damnavit hanc propos. *Pœnitens propria au-
toritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius
Pœnitentiam adimpleat.*

Q. II. *An necesse est ex præcepto seu institutione
Christi, ut Satisfactio ante Absolutionem
semper impleatur?*

Resp. Neg. Prob. 1. ex usu nunc in Ecclesiâ
à pluribus sæculis recepto. Ecclesia autem
præsens, non minus, quàm antiqua à Spiritu S.
regitur, nec unquam errare potest in rebus ad
fidem, mores, disciplinam generalem, & ad-
ministrationem Sacramentorum pertinenti-
bus, juxta illud Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum
omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*
2. Ex usu antiquæ Ecclesiæ, in quâ Pœniten-
tes ante Pœnitentiam impletam absolveban-
tur, ut quando imminebat persecutio, aut ali-
ud mortis periculum. 3. Ex Sixto IV. qui, ut
falsam, & erroneam damnavit hanc Petri de
Osma

Osma propos. *Non peractâ pœnitentiâ confitentibus absolvi non debere.* Et ex Alex. VIII. qui tres has propos. damnavit. 16. *Ordinem præmittendi Satisfactionem Absolutioni induxit non politica, aut institutio Ecclesie, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei id quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesiâ non habetur pro usu, sed abusu.* Ratio est, quia Satisfactio est tantum pars integralis & complementum Sacramenti Pœnitentiæ: at pars integralis non debet necessariò præmitti parti essentiali ejusdem rei.

Sed num aliquando potest Confessor obligare Pœnitentem ad implendam pœnitentiam sive ex parte sive ex toto ante Absolutionem?

Resp. Aff. Nam nec Christus nec Ecclesia id prohibuerunt, quando prudentia dictat id expedire. Imò ad id obligari debet pœnitens, quando est periculum, ne absolutione acceptâ Pœnitentiam omittat; vel si hoc necessarium sit, aut valde expediat curationi pœnitentis, vel si Sacerdos nequeat aliter judicare de dispositione pœnitentis. Ita Suarez, & DeLugo, qui disp. 14. sect. 10. sic ait. *Ex communi Do-*

Trina Theologorum potest aliquando obligare pœnitentem ad implendam Pœnitentiam ante absolutionem per modum medicinae, quando iudicat id necessarium vel utile pœnitenti, ex eo quod solet facile promittere pœnitentias, vel ut Confessarius certus sit de pœnitentia impleta, vel ob alios fines.



APPENDIX.

Referuntur precipui Canones Pœnitentiales secundam Ordinem Decalogi, ex variis Conciliis, & Libris Pœnitentiariis Collecti in Instruct. Sancti Caroli.

Circa I. Decalogi Præceptum.

Qui à fide desciverit, pœnitentiam aget annis decem.

Qui auguriis & divinationibus servierit, quive Cantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos septem.

Respiciens furta in Astrolabio, pœnitens erit annis duobus.

Siquis

Siquis ligaturas, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit duos annos.

Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit annos quinque.

Circà 2. Præceptum.

Quicumque sciens perjuraverit; 40. dies in pane & aquâ, & septem sequentes annos pœniteat, & numquam sit sine pœnitentiâ; & numquam in testimonium recipiatur, & post hæc Communionem percipiat.

Qui perjurium in Ecclesiâ fecerit, pœnitentiamaget annos decem.

Siquis Deum vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blasphemaverit, pro foribus Ecclesie diebus Dominicis septem, in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet; ultimòque ex illis die, sine Pallio & Calceamentis, ligatus corrigiâ circa collum; septemque præcedentibus Feriis sextis in pane & aquâ jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus. Singulis item illis septem diebus Dominicis tres aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin aliâ pœnitentiâ afficiatur. Recusans Ecclesie ingressu interdicator, in obitu Ecclesiasticâ careat sepulturâ.

Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis.

Circa 3. Præceptum.

Qui opus aliquod servile die Dominico, Festive fecerit: pœnitentiam aget tres dies in pane & aquâ.

Siquis jejunia à sanctâ Ecclesiâ indicta violaverit; pœnitentiam aget dies viginti in pane & aquâ.

Qui in Quadragesimâ jejunium violaverit; pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

In Quadragesimâ carne sine inevitabili necessitate vescens, in Paschâ non Communicet, ac præterea à carne abstineat.

Circa 4. Præceptum.

Qui parentibus maledixerit, 40. dies pœnitens sit in pane & aquâ.

Qui parentes injuriâ affecerit, tres annos.

Qui percusserit, anno septem.

Si quis contra Episcopum, Pastorem, & Patrem suum insurrexerit, in Monasterio omnibus diebus vite suæ pœnitentiam aget.

Si quis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, pœnitentiam aget dies 40. in pane & aquâ.

Circa 5. Præceptum.

Qui Presbyterum occiderit, pœniteat 12. annis.

Si quis Patrem, aut Matrem, Fratrem, aut Sororem

rorem occiderit; toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu: abstineat à carne & vino, dum vixerit: jejUNET secundâ, & quartâ, & sextâ Feriâ.

Si quis hominem occiderit; ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu Communionem recipiet.

Qui homicidii auctor fuit, ob Consilium quod dedit, pœnitentiam aget 40. dies in pane & aquâ, cum septem sequentibus annis.

Siqua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget annos tres; si nolens quadragesimas tres.

Qui nolens filium oppresserit, pœnitentiam aget dies 40. in pane & aquâ, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas serias: tres præterea quadragesimas in anno observabit.

Qui sceleris occultandi causâ filium necarit, pœnitentiam aget annos decem.

Siquis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, pœnitentiam aget annos tres.

Siquis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas serias.

Siquis ictum proximo dederit nec nocuerit; tri-dui pœnitentiam aget in pane & aquâ.

Circâ. 6. Præceptum.

Si Laicus solutus cum fœminâ solutâ concubuerit, pœnitens erit tres annos.

Qui

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens; pœnitentiam aget 20. dies.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit 40. dies.

Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spirituales violaverit, perpetuam pœnitentiam aget.

Qui incestum fecerit (non ita enormem) pœnitens erit 12. annis.

Qui Monialem violaverit, pœnitens sit annis decem.

Si quæ mulier cerusâ, aliove pigmento se oblinat, ut aliis viris placeat, pœnitentiam agat annos tres.

Pro adulterio septennii & decenii pœnitentia imponitur.

Circâ 7. Præceptum.

Siquis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam agat annum unum.

Qui furatus est aliquid de Ecclesia suppellectili, vel thesauro, vel pecuniam Ecclesiasticam, oblationesve Ecclesie factas, pœnitens erit annos septem.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies 20. in pane & aquâ.

Qui usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam agat annis tribus, uno in pane & aquâ.

Cir.

Circà 8. Præceptum.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Falsarius in pane & aquâ pœnitentiam agat, quandiu vivit.

Siquis de proximo detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane & aquâ.

Circà 9. & 10. Præceptum.

Rem alienam nefariè concupiscens, avarusque, pœnitens erit tribus annis.

Siquis concupiscit fornicari; si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si Presbyter quinque: si Diaconus vel Monachus tres: si Clericus aut Laicus annos duos.

CAPUT II.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, seu Absolutione.

I. CIRCA modum absolvendi sic habet Rituale Roman. auctoritate Pauli V. editum. Cum pœnitentem absolvere voluerit, iunctâ ei trius & ab eo acceptâ pœnitentiâ salutarî, primò dicit.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam. Amen.

Deinde